

Iustus in fide sua vivet.

Léctio libri Hábacuc prophétæ

1, 2-3; 2, 2-4

- ² **U**squequo, Dómine, clamábo,
et non exáudis?
Vociferábor ad te: “Violéntia!”,
et non salvas?
- ³ Quare ostendísti mihi iniquitátem
et malítiam vides?
Et vástitas et violéntia est coram me,
et facta est conténtio, et iúrgium exorítur.

[1, 4—2, 1]

- ² Et respóndit mihi Dóminus et dixit:
«Scribe visum
et explána eum super tábulas,
ut percúrrat, qui légerit eum.
- ³ Quia adhuc visus ad tempus constitútum,
sed anhélat in finem et non mentiétur;
si moram fécerit, exspécta illum,
quia véniens véniet et non tardábit.
- ⁴ Ecce languíduS, in quo non est ánima recta;
iustus autem in fide sua vivet».

Verbum Dómini.